

## Lectio XII

### TITUS

Huic Titus filius successit, quī et ipse Vespāsianus est dictus, vir **omnium virtutum** mirābilis adeō, ut amor et dēliciae hūmānī generis **dīcerētur**, fācundissimus, bellicōsissimus, moderātissimus. Causās Latīnē ēgit, poemāta et tragoediās Graecē composuit. Mons Vesuvius subitō sē ērūpit, Pompeiōs et alia oppida fīnitima operiēns. Hic Rōmae amphitheātrum aperuit, quod pater coeperat labōre servōrum ē Iudaeā, et quīnque mīlia **ferārum** in dedicātiōne eius occīdit. Per haec inūsitātō favōre dīlectus (> *dīligere*) **morbō** periit in eā, quā 5 pater, vīllā post biennium et mensēs octō, diēs vīgintī, quam imperātor erat factus, aetātis annō alterō et quadrāgēsīmō. Tantus luctus eō mortuō pūblicus fuit, ut omnēs tamquam in propriā doluērint orbitāte. Inter Dīvōs relātus est.

## Lectio XIII

### DOMITIAN

Domitianus mox accēpit imperium, frāter ipsius iūnior, Nerōnī aut Caligulae aut Tiberiō similior quam **patrī vel frātrī suō**. Prīmīs tamen **annīs** moderātus in imperiō fuit, mox ad ingentia vītia prōgressus libīdinis, īrācundiae, crūdēlitātis, avāritiae tantum in sē odiī concitāvit, ut merita et patris et frātris **abolēret**. Interfēcit nōbilissimōs ē senātū. Dominum sē et deum prīmus appellārī iussit. Nūllam sibi nisi auream et argenteam statuam in Capitōliō passus est pōnī. Rōmae quoque multa opera fēcit, in hīs Capitōlium et Forum 5 Trānsitōrium, Dīvōrum Porticus, Isium ac Serāpium et Stadium. Vērum, cum ob scelera ūiversīs **exōsus esse** coepisset, interfectus est suōrum coniūrātiōne in Palātiō annō aetātis quadrāgēsīmō quīntō, imperiī quīntō decimō.